

Suffarth: Defensio  
Hieroglyphica.

















BREVIS DEFENSIO  
HIEROGLYPHICES

INVENTAE

A

FR. AUG. GUIL. SPOHN ET G. SEYFFARTH.

SCRIPSIT

G. SEYFFARTH.

1889/90 S 1102  
L I P S I A E

SUMTIBUS JOH. AMBROS. BARTHII

M D C C C X X V I I .

1827





PHYSIOLOGIE

KOEN. BIBL.  
DER  
UNIVERS.  
HALLE





Nihil minus speravi, quam fore, vt inuenta nostra hieroglyphica statim ab eruditorum orbe approbarentur atque in scholas reciperentur; imo, quum cuiusque generis noua et inaudita suos habeant aduersarios, quum haud pauca veterum effata nobis contradicere videantur, quum denique nondum diserte et accurate de fundamento hieroglyphices nostrae dictum sit neque dici potuerit in *rudimentis hieroglyphices*: non dubitavi, quin existerent, qui placita nostra in dubium vocarent, impugnarent, reprimerent atque vulgarem hieroglyphica interpretandi rationem tueri studerent. Libellus, credo, primus ex hoc genere prodiit Champollionis j., V. Cl.<sup>1)</sup>, qui ipse hieroglyphicam composuit; quem equidem tum ob feruorem, quo studia sua prosequitur, tum ob ingenii solertiam, qua verum indagat, magni semper feci. Multum igitur interest antiquitatis studiosorum, scire, partim qua tandem ratione veneranda veteris Aegypti scripta, in quorum natura quaerenda tot anni, tot saecula irritam operam consumerunt, explicari debeant, partim vtrum Spohnii meisque lucubrationibus contigerit, vt aiunt amici nostri nostrae doctrinae periti, certam viam ad obscura Aegyptiorum sacra inuenire. Quam ob causam non potui officio supersedere, ad id, quod iam disputatum est contra hieroglyphicam nostram, breuiter respondendi.

In vniuersum libellus, quo falsitas hieroglyphices nostrae probanda erat, ita conscriptus est, confiteor, vt, si obiter legatur et sine rerum contemplatione, legentium animos in se deflectat atque in gratiam Champollionis, qui in sua ipse causa iudex exstitit, abripiat. Sed probe notandum, *pleraque in eo erroribus*

---

1) Lettre à M. le Duc de Blacas d'Aulps, premier gentilhomme de la chambre, pair de France, etc. sur le nouveau système hiéroglyphique de MM. Spohn et Seyffarth par F. F. Champollion le Jeune. Florence chez Guil. Piatti. MDCCCXXVI. 23. pp. 8.



*niti, reliqua vero materiam non exhaurire.* Argumenta enim, quibus Champollio probabiliter nos impugnauit, adeo parui momenti sunt, vt ea concedere possem salua doctrinae nostrae summa. Quod vero auctor paullo confidentius et arrogantius disputauit, id annorum multitudini adscribo, quibus se hieroglyphica tractasse dicit. Quo diutius enim nostras cogitationes fouemus, eo magis falsa quoque vt vera, incerta vt certa nobis apparent, eo minus aliorum placita, praesertim contraria nostris, aequae ferre atque in nos recipere valemus. Nos quidem, Spohnius inquam egoque, non per quindecim annos, sed tantummodo per decem literis Aegyptiacis operam dedimus. Qua re id a me impetrare non potui, vt eodem modo contra Champollionem scriberem, quo contra nos ille disseruit.

Opus est ante omnia refutare ea, in quibus Champollio erroribus ductus esse videtur. Cuiusuis generis enim falsa, siue grauioris siue leuioris momenti sint, id proprium habent, vt, cum vnum falsum plura trahat, veri processum etsi non prohibeant, certe impediunt. Atque libellus dictus, qui facilius quam nostra opera hieroglyphica multorum in cognitionem venerit, facillime falsissimas opiniones de Spohnio, amico defuncto, posset creare et latius propagare, si tacerem. Haec sunt potissimum, quae effecerunt, vt, quum inter pacem bellumque haesitarem, ad arma contra Champollionem sumenda inclinarem. Vellem enim cum omnibus, cum bonis saltem verique amantibus esse in pace. Ceterum hoc nihil turbatum iri amicitiam puto, quae inter me et Champollionem intercedit, quum arma feram neque pro me neque contra Champollionem, sed pro vero militans contra falsum.

„L'espérais surtout,“ inquit, „que les Erudits et le grand nombre des personnes, qui ne s'occupent qu' occasionellement de cette branche d'Archéologie, sauraient bientôt ce qu'on devait attendre du système des MM. Spohn et Seyffarth en apprenant que ces deux Savants ayant publié *la lecture et la traduction* d'un manuscrit Egyptien du Cabinet de Paris, le texte grec *de ce même* manuscrit, découvert à Londres par M. le Docteur Young, ne confirme sur *aucun* point la version des deux Savants Allemands; circonstance qui démontre évidemment la fausseté des principes fondamentaux de leur méthode<sup>2)</sup>.“ Quum Champollio lectionem et interpretationem papyri dicti a Spohnio factam non contulerit cum eiusdem textus versione Graeca; dubito, utrum ab amico parum candido, an ex scriptis quibusdam inuidiosis hauserit hancce fabulam. Scilicet in litera-

2) Pag. 6.



rum annalibus vidimus nuper commentariolum, quo inter alia non illepide tradebatur, me in papyro demotico legisse hymnum in solem (où M. Seyffarth a lu un si bel hymne au soleil), serius vero eiusdem papyri traductionem Graecam inuentam esse, ex qua cognoscatur, manuscriptum Aegyptiacum illud non hymnum pulcrum in solem, sed purum putum simplicemque contractum inter priuatos continere<sup>3)</sup>. Inde elucere dicit auctor hieroglyphices meae vanitatem. Ne hoc quidem ex quonam fonte prouenerit iudicare possis, nisi velis ad priorem partem eorundem annalium animum aduertere, vbi inter alia ingeniosius narratur, me contendisse non nisi per linguam Armeniacam explicari posse scripta Aegyptiaca, meque inuenta Spohniana emisisse in eruditorum orbem, vt triumphum Germaniae de Francogallia<sup>4)</sup>. Videre licet quam artificiosis et dolosis armis systemati meo, quum aduersarium sit Champollioni, insidientur. Non mihi vnquam in mentem venit, canere eiusmodi triumphum atque inter duas nationes bellum et dissidia mouere; vno, quid de patria eruditorum habeam, ipsa in Spohnii vita haud obscuris verbis significauit. Eruditorum atque literas profitentium parua et despecta manus patria caret, siue, vt rectius dicam, patria eruditorum est orbis immensus eruditionis, in quo singuli pro suis partibus elaborant in eo, vt literarum lumine aliquid conferant ad communem vtilitatem; in quo singuli pro suis partibus, si aliquid rectius et verius inuenerint, id e Museorum suorum angustiis in vitam et vsum producant. Sed agitur de eo, quod secundum hieroglyphicam meam possit hymnus in solem legi in papyro, qui solum contractum inter priuatos contineat. Quam ob rem auctorem huius argumenti satis notum publice rogatum volo, vt id quam primum demonstret. Quodsi non contigerit ei, quam primum et publice hoc demonstrare, me quidem e simplici contractu vnquam legisse pulcrum hymnum in solem: ei ipsi relinquam aut calumniationis aut leuitatis suspicionem qualicumque modo placeat a se auertendam; reliquis vero iudicium ferendum de annalibus publicis literarum, qui eiusmodi commenta approbant, in se recipiunt atque sinceritatis specie per terrarum orbem diuulgant. Sed nolumus nimis grauiter de his minutis rebus iudicare, quum auctor in eo tantum errasse videatur, quod mihi ipsi adscripsit illum hymnum in solem. Ceterum superiora non pertinent ad Champollionem, quum tradat, neque me neque Spoh-

3) No. 8. 1826. A. p. 97.

4) No. 10. 1825. p. 282.



nium seorsim, sed vtrumque simul exhibuisse lectionem et conuersionem papyri Parisini, quae nulla in re Graeca eius conuersione postea inuenta approbentur.

Operae pretium est videre, vtrum Spohnius, qui iuxta titulum operis sui legit papyrum dictum, aliud argumentum inuenerit in textu Aegyptiaco, quam id, quod secundum Graecum vel Graecos textus inueniri debebat. Habemus enim duo papyra, alterum Anastasii <sup>5)</sup>, alterum Greyi, quae, quum illud spectet ad initium, hoc ad reliquam partem, pro traductione papyri Aegyptiaci nostri haberi possunt. Alias dixi, lectionem et conuersionem a Spohnio factas atque a me editas non omni numero perfectas et absolutas esse <sup>6)</sup>. Quum enim Spohnius acceperit exemplum papyri parum accurate scriptum, quum eius commentarius, quasi vnus horae fructus, nondum publico vsui, sed priuato adhuc destinatus esset; nemini mirum videbitur, literas non paucas exstare in lectione Spohniana, quae auctor iterata lectione facillime emendasset. Vbi aliquid imperfectum aut erratum videtur, ibi exemplum Spohnii, quippe a pictore literarum Aegyptiacarum non perito factum, culpam fert. Vtut sit, quaecunque fere Spohnius in papyro Parisino legit, ea optime consentiunt cum Graeca conuersione. Nomina propria ab initio haec inuenit: Ptolemaeus, Cleopatra, Ptolemaeus, Cleopatra, Alexander, Berenice, Arsinoe, Arsinoe, Ptolemaeus etc., Cleopatra etc., Arsinoe etc., quae deinceps plane eadem leguntur in textu graeco. Nominibus adiungit textus Graecus haec verba: βασιλευοντων, και, αδελφης, . . . θεων επιφανων και εφ'ιερωσ, quibus haec respondent apud Spohnium: *mboro* regis, *emn* et, *hsnt* sororis, *hschne* natorum, *hnoeoi mini emn nueh* deorum illustrium et sacerdote <sup>7)</sup>. Vocabulum primum literis maiusculis ita exaratum est, vt vel papyri argumentum *teuen* atcum publicum, vel tempus, *nasp* annum, vt ετους papyri Graeci, indicare possit. Illud Spohnius secutus est, hoc equidem inueni. De numeris additis, quos Spohnius alias recte distinxit, nunc vniuerse iudicare licet <sup>8)</sup>. Regis et reginae nomina sequitur catalogus Lagidarum hic: και θεων σωτηρων, και θεων

5) Boeckh Erklärung einer Aegyptischen Urkunde etc. Berlin 1821.

6) Vid. Spohn. De lingua et literis veterum Aeg. P. I. p. 37. sqq. col. XV.

7) Nonnulla ita adscribam, vti scripta sunt a Spohnio, vbi autographa habuit ante oculos et rectius legit. Vid. p. 27. sqq. 17. sqq. 2. sqq. 44. sqq. operis Spohn.

8) Vid. Spohn. Aeg. p. 44. al. Systema numerorum Aegyptiacorum debemus lucubrationibus Eq. di S. Quintino. V. Saggio sopra il sistema de' numeri pressogli antichi egiziani, Lettera del Cav. G. di S. Quintino, Conserv. del Mus. eg. di S. M. il Re di Sardegna.



ἀδελφῶν, καὶ θεῶν εὐεργετῶν, καὶ θεῶν φιλοπατορῶν, καὶ θεῶν ἐπιφανῶν, καὶ θεῶν φιλομητορῶν, καὶ θεοῦ εὐπατορος. Eundem catalogum Spohnius inuenit hoc modo: *hnooé nsont, hnooé sne, hnooé pschaée, hnooé méêrsjone, hnooé méini, hnooé méémone, noo npiersjont*. Porro memorantur tituli sacerdotissarum ἀθλοφοροῦ Berenices εὐεργετιδος atque κανηφοροῦ Arsinoës φιλαδελφου, qui sic leguntur Aegyptiace: *hefiée che nèn chme, pe scha éeo* atque *hefiée pepon nue nte* i. e. portantis gloriam auream *της* etc. Quaestio fuit, cur Ptolemaeus VII. appellatus fuerit *Physcon*. Etiam huius rei explicatio debetur Spohnio, qui obseruauit, Graecum *φυσκων* sic exprimi Aegyptiace: *mêê ot rome* i. e. amans adipem hominum. Papyrus Graecus nominat duas personas hac in caussa primarias *χολχυτας*. Idem sibi vult appellatio *ché nho rpeéo* i. e. ὦν coram templis, vel ὦν ad faciem templorum, vt Spohnius legit. In tergo papyri Parisini exstant duodeviginti versiculi, qui secundum Spohnium nomina testium continent. Legit enim versum primum sic: *npêe nhmethrue* i. e. statuti testes, atque testis decimus quartus, quippe Graecus, vocatur Antimaos filius Antigenis secundum Spohnium. Haec quoque confirmantur papyro nostro Graeco postea inuenito, quippe qui post acta habet sedecim testium nomina cum inscriptione: *μαρτυρες*, atque vocat testem decimum quartum *ἀντιμαχον ἀντιγενους*. Praeterea haec omnia aliunde confirmantur, nimirum lingua Coptica, quae nunc eadem vocabula, nunc easdem radices vocabulorum continet, quae Spohnius in textu suo antiquiori inuenit, vt haec exempla docent:

	<i>Lectio Spohn.</i>	<i>Radix Copt.</i>	<i>Signific.</i>
<i>μεθρε</i>	methre	methre	testis
	pê	pa	ponere
	erpiêo	erpieu	templum
<i>20</i>	ho	ho	facies
	chê	chê	esse
<i>ρωμι</i>	rome	romi	homo
	ot	ot	adeps
<i>μει</i>	mêi	mei	amare
<i>ντε</i>	nte	n̄te	του, της

atque sic in reliquis.

Quae quum ita sint, non est hymnus in solem, vti mihi quidem videtur, quem Spohnius e contractu produxerit; neque intelligo, quomodo Champollion tam facile aliis credere potuerit. Ceterum, quod grauius est, Champollion eiusque amici ex eo, quod tradunt, aut me, aut Spohnium, aut vtrumque falsam interpretationem





papyri fecisse, concludi iubent, nostram hieroglyphicam falsam esse, systema vero Champollionis, quum plane contrarium sit nostro, recte sese habere<sup>9)</sup>. Quum res paullo aliter euenerit, licet nobis iam sic fere concludere: Systema hieroglyphicum, cuius ope in scripto quodam Aegyptiaco idem argumentum, idem sensus inuenitur, atque in conuersione eiusdem textus postea reperta, id quidem pro vero et recto haberi debet. Atqui accidit, ut scripti cuiusdam lectio et interpretatio nostra conueniat cum eiusdem textus conuersione Graeca, quatenus versio est; ergo sequitur, et hieroglyphicam nostram veram esse, et aliud quoddam systema, quod a nostro distat toto coelo, quod papyrum illam Parisinam plane aliter explicasset, id quidem esse plane falsum atque, ut verbis Champollionis utar, si non inane, saltem inutile scientiae<sup>10)</sup>. „Toutes les inscriptions bilingues“, inquit Champollion, „c'est à dire toutes les inscriptions égyptiennes accompagnées de leur traduction grecque et rapportées d'Égypte depuis ces quatre derniers années contredisent expressement le système de M. Seyffarth, qui ne leur est applicable dans aucune de leur parties“<sup>11)</sup>. En secundum errorem, quo duce Champollion systema nostrum impugnauit. Nihil dicam de papyro bilingui, de quo iam egimus, neque commemorabo reliquas inscriptiones bilingues a nobis explicatas, quae hieroglyphicam nostram confirmant; subsistamus in Rosettana inscriptione. Nulla enim est inscriptio bilinguis adeo insignis adeoque ad probandam aut reprobandam hieroglyphicam quandam apta, quam haec, et quia ad 3000 uocabula continet, et quia textus eius Graecus, ut ipse sub finem testatur, uera est translatio textus Aegyptiaci. Hanc quidem inscriptionem interpretati sumus hoc modo. Spohnius inuenit uiginti quinque litteras, quibus, ut ueteres narrant, uetus Aegyptiorum alphabetum constituit. Huius simplicis alphabeti auxilio Spohnius eo peruenit, ut integrum textum demoticum inscriptionis Rosettanae legere siue pronuntiare, atque litteris Latinis expressum et quasi comprehensum tenere posset. Hicce textus Aegyptiacus, si linguae Aegyptiacae uel Copticae ope in uernaculam traducitur, uerbote-

9) Lettre de M. Ch. p. 17.

10) Reuera tristissimum est, quod auctores talium notitiarum de Spohnio atque de me, quales uidimus, quippe homines uenerandi, quatenus in uero disquirendo versantur, non erubuerunt, tanta licentia tam contraria uero tamque aperte falsa tradere. Sed non nunc primum illi suam causam talibus sustinere artibus studuerunt. Sufficit conferre annales literarum Pisanas 1825, ubi Eq. de S. Quintino similem licentiam publice accusauit.

11) lb. p. 6.



nus respondet textui Graeco. Porro si literae viginti quinque illae hieroglyphica ratione ornantur, siue figurae hieroglyphicae inscriptionis Rosettanae pro literis demoticis ornatis sumuntur, accidit, vt in textu hieroglyphico eadem vocabula atque in demotico, idemque sensus atque in Graeco reperiatur. Neque haec difficile probantur, quum nostra inscriptionis Rosettanae et lectio et interpretatio dudum editae sint. Vereor, ne Champollion ignorauerit primum specimen operis Spohniani ad inscriptionem Rosettanam pertinere, quum nondum indicatum sit, quaenam monumenta Aegyptiaca spectent quindecim illa Spohnii commentaria Aegyptiaca. Quomodo vero inscriptio Rosettana confirmet systema Champollionis, prorsus non intelligo, quum neque Champollioni neque aliis contigerit, systemate Champollioneo vel vnum versiculum explicare huius inscriptionis, qua, vt lapide Lydio aurum, systemata hieroglyphica spectari debent.

Haud rectius se habet, quod Champollio dicit, hieroglyphicam nostram, quum opposita sit tum monumentis tum scriptoribus veteribus, a priori ortam esse. „Les Rudimenta hieroglyphiques de M. Seyffarth“ inquit „renferment une briève dénonciation des bases fondamentales de son système, sans que l'Auteur ait jugé à propos d'y joindre les citations d'autorités anciennes ou de faits monumentaux desquels il aurait déduit ses principes. Le Savant allemand a donc construit son système *a priori* <sup>12)</sup>.“ Inter veteres auctoritas de scriptura Aegyptiorum praecipua est Clementis Alexandrini, vt inter omnes constat. Clemens vero duplex memorat hieroglyphicorum genus, alterum *διὰ τῶν πρώτων στοιχείων*, alterum *συμβολικόν*. Eadem genera distinguunt Rudimenta mea hieroglyphices. Porro teste Clemente tres formae sunt hieroglyphicorum symbolicorum, scilicet mimetica, tropica et allegorica. Totidem formas Rudimenta mea distinguunt. Sic orta est hieroglyphice nostra ex hieroglyphice Clementis. Praeterea singulares observationes de scriptura Aegyptiorum debemus Herodoto, Plutarcho, Eusebio aliisque. Atque haec testimonia grauissima non neglexi, imo oblata occasione centies attuli cum commentariis meis <sup>13)</sup>. Quid de eo dicam, quod sub finem systematis mei integra dissertatio de loco Clementis legitur? Vtrum vero doctrina mea absque monumentis Aegyptiacis orta sit, e sequentibus cognoscatur. Spohnius, inuento alphabeto Aegyptiorum genuino, mox eo peruenit, vt quaeuis scripta demotica ex-

12) Ib. p. 8. et 9.

13) Conf. Rud. p. 12. n. 36. p. 16. n. 41. p. 18. n. 46. p. 41. n. 100. al.



plicare posset. Hinc idem Spohnius clauem scripturae hieraticae nactus est, quum inueniret loca nunc hieratice, nunc demotice scripta. Subinde mihi contigit, quum iam possem tam hieratica quam demotica legere, vt integros textus Aegyptiacos tum hieratice tum hieroglyphice scriptos inuenirem. Interea incidi in monumenta Aegyptiaca triplicis generis, quae non nisi scripturae genere diuersa exempla sunt et totidem quasi codices eiusdem textus, exempla inquam eiusdem monumenti demotica, hieratica, hieroglyphica. Apparebit ex his, nostram hieroglyphicam ita prodiisse e monumentis Aegyptiacis, vt inter se comparentur nunc scripta demotica cum demoticis, hieratica cum hieraticis, hieroglyphica eum hieroglyphicis; nunc demotica cum hieraticis, hieratica cum hieroglyphicis, hieroglyphica cum demoticis parallelis. Nescio an nihil minus *a priori*, magisue *a posteriori*, quod dicunt, oriri possit, quam hieroglyphice nostra, quippe quae Clementis atque reliquorum hieroglyphicam verbotenus sequitur atque veluti mathematica scriptorum Aegyptiacorum contemplatione nititur. Ceterum videbunt, de his omnibus dictum esse in rudimentis meis hieroglyphicis<sup>14)</sup>.

Non minus Champollion in eo errauit, quod dixit, secundum hieroglyphicam nostram nihil esse symbolici in hieroglyphicis<sup>15)</sup>. Exempla quidem e sua sententia symbolica, quae affert, non sunt symbolica ex nostra sententia, sed alia. Quis enim credet, vt vnum commemorem, notionem sacerdotis expressam fuisse symbolice cothurno atque granato? Quas imagines nos legimus  $\dot{\text{u}}\text{eh}$  vel  $\dot{\text{u}}\text{ep} = \dot{\text{u}}\text{eb}$  Copt., i. e. sacerdos. Quaeritur, de quo Champollion nondum quaesiuisset videtur, quid sint hieroglyphica. *Γράμματα ἱερογλυφικά*, vt apparet e notione verbi, erant omnis generis siue sculpturae siue delineationes, quibus sacra Aegyptiaca indicarentur. Quare ad hieroglyphicam scripturam pertinent etiam omnes illae designationes et picturae, quae in papyris, stelis, tabulis, obeliscis, parietibus templorum aliisque in rebus observantur praeter textum grammaticum, vt adumbrationes deorum, insignium diuinorum, animalium, actionum sacrarum, factorum historicorum, rerum, eius generis aliarum. His allegoriis, vt demonstrauius, integra vocabula, integrae orationum insunt. Atque haec sunt maxima ex parte hieroglyphica illa symbolica, de quibus loquuntur Clemens A., Herodotus, Diodorus S., Eusebius, Plutarchus, Porphyrius, Iamblichus, Ammianus Marcellinus aliique. Praeterea multa voca-

14) Praef. p. III. sqq. Rud. p. 85. 90. 92. al.

15) Lett. p. 9—12.



bula ita scribuntur, vt figurae adhibitae aut artificiosius compositae notionem exprimendam quasi depingant atque ante oculos ponant. Sic litera *e* vocabuli *ine*, imago, hominis imagine redditur. His accedunt alia magis aenigmatica. Sic *Ramese*, cognomen vsitatissimum regibus Aegyptiacis, tam diuerse scribitur, quam diuersi reges ita appellantur, vt e tabula Abydena patet. Simili modo diuersae Aegypti partes et prouinciae distinguuntur<sup>16)</sup>. Aegyptus inferior, nimirum imperans reliquae Aegypti, scribitur throno, oculo atque securi. Confinis pars Aegypti inferioris indicatur throno, montis et lacus specie atque femina sedente. Superior Aegyptus tamquam fons Nili et religionis sibi vindicat paterae et templi figuram. Oasis videtur vulture, symbolo vitae, vt Horapollo refert, in medio quadrato, symbolo arenae, exprimi. Hae complexiones hieroglyphicae, quamuis constanter *cheme-cheme* Copt. Aegyptus pronuncientur, nonnunquam imaginibus deorum adscribuntur. Sic nomen Aegypti inferioris iuxta Osiridem reperitur, non quod thronus cum oculo et securi, vt Champollion putat, Osiridem significant, sed quod Osiris Deus tutelariorum est suae prouinciae siue nomi<sup>17)</sup>. In Aegypti enim inferiori fuit nomus Busiris, i. e. Osiris. Item apponitur ad Isidis imaginem nomen regionis Aegyptiacae eius, in qua celebre illud Iseum erat. Ridiculum fuisset ad imaginem Isidis adscribere nomen deae. Clarum erit ex his, scripturam hieroglyphicam, etiamsi tota esset, quod Champollioni placet, symbolica, explicari non posse, nisi praecessisset nostra hieroglyphicorum explicatio grammatica. Ceterum in his potissimum obseruare licet diuersitatem nostrae hieroglyphices atque Champollioneae.

16) Rud. p. 40. al.

17) Champollion credit etiamnum (Lettr. p. 21.), figuram throni cum oculo et securi significare Osiridem, neque vero Aegyptum, nostrum vero Osiridis nomen scilicet *Osèrès* esse merum titulum mortuorum omnis generis omnisque sexus. Quum inscriptio Rosettana hieroglyphica Aegypti nomen paullo aliter scribat, concludit: cela ne prouerait-il point, que le Savant Allemand se méprend sur la valeur de ce groupe comme sur celle de tant d'autres. At inscriptio Rosettana, quum de tota Aegypti ageret, nomine totius Aegypti vti debebat, quale reperitur L. XIV. Nostrum vero *Osèrès* non significare titulum mortuorum, nunc videbit Champollion ex suo ipsius libro (Lettre II. rel. au Mus. de Tur. Tab. VI. Lin. II. 5.), quippe quo in loco rex Aegypti isque viuens et viciens sic appellatur. Nihilominus assentire vellem Champollioni, si vlla ratione demonstrare potuisset, cur et quam ex lege sex illae figurae conficiant titulum mortuorum omnis generis et sexus. Ceterum videbit Champollion ex inscriptione Rosettana, nostra Aegypti et Osiridis nomina hieroglyphica et hieratica eodem fere modo scribi demotice. Quo facto persuadetur ei, thronum cum oculo et securi non significare Osiridem, neque nostrum *Osèrès* esse merum titulum mortuorum.



Champollion, dum pariter atque *Kircher* nunc singulas figuras, nunc figurarum complectiones easdem modo pro substantiuis, modo pro adiectiuis, modo pro verbis, modo pro aduerbiis, modo denique pro veris literis habet, textum siue argumentum quoddam conficit, ratus se reperisse id, quod scriptor maxime tradere voluerit lectoribus. Haec enim est ratio *Kircheri*, vt singulas figuras hieroglyphicas non quemadmodum nos pro symbolis literarum, sed pro singulis vocabulis accipiat. Nos scripta hieroglyphica legimus ratione grammatica, quo facto quaerimus, vtrum vocabulum quoddam praeter grammaticum sensum admittat symbolicum quendam. Non minus negligentur, ne quid grauius dicam, disseruit libellus Champollionis de nostra computatione hieroglyphicorum. Quis quaeso vnquam mortalium tradidit serioque contendit, esse 675000 literas Aegyptiacas atque 6000 figuras hieroglyphicas <sup>18)</sup>? Quamuis enim plures imagines hieroglyphicas obseruauerim quam Champollion, qui per quindecim annos, vt ait, ad 900 tantum inuenit; minime tamen mihi accidit, vt 6000 figuras hieroglyphicas diuersas numerare vellem. Quod vero equidem dixi, hieroglyphica esse admodum numerosa, id non ad imagines diuersas spectat, sed ad literas diuersas hieroglyphicas. Quum enim literae hieroglyphicae literas hieraticas contineant; quum hieraticae literae, si vna figura reddi non poterant, duabus pluribusue figuris hieroglyphice exprimantur; quum caedem partes literarum hieraticarum diuersis modis ornari et tractari possint; quum denique, quod summum est, diuersae aetates diuersaeque regiones in his omnibus suam quaeque sequantur rationem: accidit, vt literae hieroglyphicae proprie dictae numero longe superent literas hieraticas, quemadmodum tabula mea alphabetica demonstratum est. Formulae vero analyticae, quae hoc in capite hieroglyphices leguntur, non Spohnio, sed, quum me ipsum auctorem professus sim, mihi adscribendae erant; iisque vsus sum non ut demonstrarem, esse 675000 literas Aegyptiacas, sed ad illustrandam sententiam meam de origine hieroglyphicorum. Eiusmodi criminibus Spohnii nomen liberum atque intemeratum erit. Ceterum noli credere, me de literis demoticis quoque ornatis disputasse, de qua re Champollion ne cogitare quidem potuisset, si vel obiter cognouisset hieroglyphices nostrae principia.

„Les deux Savants“ inquit Champollion „ont eu le malheur de travailler au déchiffrement des écritures égyptiennes, non d'après des *textes originaux* inscrits sur de stèles, des momies, des bas-reliefs, des papyrus etc. etc., mais seu-

18) Lett. p. 14. et 15.



lement d'après des *dessins* et des *gravures* d'inscriptions exécutés en Europe par des artistes, qui exprimaient seulement ce que leurs yeux inhabiles croyaient y apercevoir<sup>19)</sup>." Itaque auctor non legit ea loca, quibus tradidi, Spohnium papyros Aegyptiacos autographos in scriniis suis habuisse, eundemque praesentem tractasse innumera monumenta alia; atque ignorare videtur, me ipsum scripsisse librum de Museo Aegyptiaco ante hieroglyphices meae emissionem<sup>20)</sup>. Hoc quidem pro certo habeo, quum Champollion libellum suum incipiat his verbis: Les deux ouvrages publiés par M. Seyffarth sur les écritures égyptiennes sont venus à ma connaissance. At libri non numerari volunt. Hoc vnum addere liceat in vniuersum, me non satis intelligere, quomodo Champollion aduersus hieroglyphicam nostram scribere potuerit iusto confidentius et arrogantius, priusquam legisset et intellexisset libros, e quibus hieroglyphice nostra cognoscitur.

Haec sunt errata in examine hieroglyphices nostrae Champollioneo, quae ante omnia corrigenda erant, missis reliquis<sup>21)</sup>. Spohnii enim lectio et traductio Parisini papyri non dissentit, sed consentit cum eiusdem textus interpretatione Graeca postea inuenta; inscriptiones bilingues, praecipue Rosettana, nostram hieroglyphicam non refutant, sed confirmant; hieroglyphice nostra non *a priori*, sed *a posteriori* siue e monumentis Aegyptiacis veterumque locis orta est; hieroglyphica Aegyptiorum scriptura secundum systema nostrum non solum grammatica, verum etiam symbolica est; hieroglyphice Clementis Alex. aliorumque veterum non pugnat sed constat cum hieroglyphice nostra; literae Aegyptiacae secundum doctrinam nostram non sunt 675000, sed 25 tantum numero, neque numerauimus 6000 figuras hieroglyphicas, sed non ita multo plures quam 850, quot Champollion; denique systema nostrum hieroglyphicum non leuia et falsa exempla recentiorum, sed ipsa Aegyptiorum autographa sequitur. Tres sunt aduersarii veritatis, error, desidia atque iniquitas. Hactenus cum errore tantum, neque vero cum Cham-

19) Ib. p. 16.

20) Vid. Spohn. Aeg. p. VI. XV. Vita Sp. p. 32. 50. al.

21) Sic tribuitur mihi p. 13. n. I. negligentiae specimen, quasi equidem in nomine Cleopatrae, quod attuli contra Champollionem in Rudimentis meis p. 8. n. 10., signum quoddam omiserim. Placeat Champollioni adire Young Discoveries in. h. l. p. 122. annulum *secundum*, quo facto retractabit, quod dixit: Le Savant Allemand en croyant copier exactement a omis par inadvertence le signe qui figure un main. Occasione data non pauci mecum rogabant Champollionem, vt indicare vellet in gratiam studiorum nostrorum autographa sua descripta et partim edita. Incidi in monumenta Aegyptiaca, quae Champollion, vt demonstrare possum, non recte descripsit.



pollione egimus. Restat examinare argumenta, quae placitis nostris reuera obstare videantur. Quae Champollion probabilitatis quadam specie contra nos mouit, ea fere his verbis comprehendendi possunt:

I) Plerique veterum tradunt, scripturam Aegyptiorum hieroglyphicam fuisse tantummodo symbolicam <sup>22)</sup>.

II) Ordini rerum naturali consentaneum est, scripturam alphabeticam prodiisse e symbolica siue hieroglyphica <sup>23)</sup>.

III) Parum credibile est, multo plures literas apud Aegyptios in{vsu fuisse quam apud alias gentes <sup>24)</sup>.

IV) Improbabile videtur, figuras hieroglyphicas potestate ambigua fuisse <sup>25)</sup>.

V) Lingua, quam nos inuenimus in scriptis veterum Aegyptiorum, non satis est Coptica <sup>26)</sup>.

In oculos incurrit, haec omnia a nobis concedi posse salua hieroglyphices nostrae summa. Concedamus, veterum plerosque aliter de hieroglyphicis statuuisse quam nos, scripturam alphabeticam e symbolica ortam esse, pauciores literarum formas quam coniecimus Aegyptiis vsitatas fuisse, pauciores fuisse ambiguas, atque nostras lectiones magis ad linguae Copticae naturam adtemperari posse: an credis, systemati nostro, quod multo firmiori fundamento nititur, inde interitum afferri? Liceat, summam hieroglyphices nostrae primo in memoriam reuocare. Perspicuitatis caussa placita Champollionis nostris opponantur. Notionem hieroglyphicorum quod attinet, hieroglyphica nominantur 1) sensu latissimo omnia Aegyptiorum scripta, nimirum demotica, hieratica atque ea, quae rerum imaginibus constant; 2) sensu strictiori scripta, quae rerum imaginibus constant; 3) sensu strictissimo Aegyptiorum scripta symbolica. Quas notiones diuersas velis in libello Champollionis accurate distinguere.

Syst. Spohn. et Seyffarth.

Syst. Champollion.

A.

1) Lingua, qua veterum Aegyptiorum monumenta conscripta sunt, est *Coptica antiqua*.

1) Lingua, qua veterum Aegyptiorum monumenta conscripta sunt, est *Coptica recens*.

22) Lettr. p. 11.

23) Ib. p. 17.

24) Ib. p. 17.

25) Ib. p. 18.

26) Ib. p. 19.



Syst. Spohn. et Séyffarth.

2) Lingua Aegyptiorum vetus, subinde dialectus sacra a veteribus appellata, differt vocabulis, formis grammaticis, syntaxi, antiquitatis speciem prae se ferentibus, a Coptica nostra.

1) Scriptura demotica constat 25 literis, vt Plutarchus testatur, scilicet 22 literis Phoeniciorum (inuentorum, vt veteres tradunt, alphabeti) atque tribus literis postea a sacerdote *Isiri* additis, vt Eusebius testatur.

2) Scriptura demotica est *alphabetica*; symbolica dici potest, quatenus literas certis quibusdam ex legibus componit.

3) Scriptura hieratica constat *literis demoticis* ornatis et elegantius scriptis.

4) Scriptura hieratica est *grammatica*; symbolica dici potest, quatenus literas certis quibusdam ex legibus componit.

5) Hieroglyphica scriptura constat *literis hieraticis* ornatis et elegantius scriptis.

6) Scriptura hieroglyphica in vniuersum est *grammatica*.

Syst. Champollion.

2) . . . . .  
 . . . . .  
 . . . . .  
 . . . . .  
 . . . . .

B.

1) Scriptura demotica constat figuris hieroglyphicis primum hieratice, hinc demotice in breue contractis. Sed non omnes illae 850 figurae hieroglyphicae in scriptis demoticis reperiuntur.

2) Scriptura demotica est *paullo minus symbolica*, quam scriptura hieratica.

3) Scriptura hieratica constat *figuris hieroglyphicis* minus quam demoticae in breue contractis.

4) Scriptura hieratica est paullo minus *symbolica* quam hieroglyphica <sup>27)</sup>.

5) Hieroglyphica scriptura constat rerum e vita communi petitarum *imaginibus*, quibus cogitationes exprimebantur ante vsum scripturae alphabeticae.

6) Scriptura hieroglyphica in vniuersum est *symbolica*, scilicet partim mimetica, partim symbolica.

27) Hanc sententiam Champollion facto mutauit, quum in scriptis recentioribus hieroglyphica atque hieratica eodem modo, nimirum symbolice explicet. Et recte quidem. Exstant enim textus hieroglyphici et hieratici, in quibus verbum verbo, litera literae respondet, ex quo sequitur, si hieroglyphica in vniuersum symbolica sunt, hieratica quoque in vniuersum symbolica esse. Idem valet de scriptis demo-





## Syst. Spohn. et Seyffarth.

7) Scriptura hieroglyphica est *symbolica*, siue, vt Clemens ait, mimetica, tropica atque allegorica, quatenus vocabula praeter grammaticam explicationem admittunt symbolicam, et quatenus repraesentationes rerum hieroglyphicae proxime pertinent ad picturam.

8) Potestas figurae hieroglyphicae cuiusdam alphabetica eo reperitur, vt litera quaeratur hieratica aut demotica, quae figurae hieroglyphicae subest. Sonus literae subditae idem est sonus signi hieroglyphici, vt in Armeniorum hieroglyphicis.

9) Haud raro duo aut plura signa simul vnum sonum exprimunt, vbi litera hieratica non potuit vna figura comprehendi, vt et apud Armenios accidit.

10) Haud raro eadem signa hieroglyphica diuersos sonos exprimunt, quum literae hieraticae diuersae quidem, sed figura similes, simili aut eadem ratione circumscribantur vel ornentur.

Haec sunt hieroglyphices nostrae principia, quae Champollion, quum argumenta a nobis addita non examinauerit, *a priori* in dubium vocat atque quinque suis argumentis refutare se credit. Possemus veluti virtute nostra inuoluti despiciere paruam hanc et inermem manum; videamus tamen quid valeat.

Profecto multi scriptores Graeci et Latini memorant scripturam Aegyptiorum symbolicam. At quaeritur, vtrum de scriptura hieroglyphica omnino, an de ea potissimum hieroglyphicorum parte locuti sint, quae secundum nostram senten-

ticis, quum exstent textus demotici et hieratici paralleli. Quare dici debebat, in scriptis hieraticis et demoticis ea tantum esse alphabetica, quae in hieroglyphicis alphabetica sint.

## Syst. Champollion.

7) *Alphabetica* non sunt in scriptura hieroglyphica nisi nonnulla nomina propria, quae partim literis, partim literis et symbolis scribuntur, atque alia nonnulla vocabula et formae grammaticae.

8) Potestas figurae hieroglyphicae cuiusdam alphabetica eo reperitur, vt figurae nomen Copticum quaeratur. Sonus primus nominis idem est sonus hieroglyphici.

9) Nunquam plura signa simul vnum sonum exprimere possunt, quia quodvis hieroglyphicum cum suum nomen suum sonum singularem tuetur.

10) Nunquam eadem imagines hieroglyphicae diuersos sonos exprimere possunt, quia quaeuis imago tenet suum nomen singulare, vti apud Phoenices.



tiam symbolica est. Obiter enim paucisque verbis plerique mentionem faciunt hieroglyphicorum. Audiendi sunt ii, qui accuratius de Aegypto disseruerunt, vt Herodotus, Clemens Alexandrinus, Plutarchus, Eusebius, alii, quippe qui nostram prorsus hieroglyphicam tenuerunt et docuerunt. Sed fac Herodotum, Clementem, Plutarchum, Eusebium aliosque falsa narasse; fac, omnem antiquitatem Graecam et Romanam Aegyptiorum scripturam hieroglyphicam pro symbolica habuisse: quid quaeso eo iam probatur? Graeci et Latini, barbarae Aegyptiorum linguae non periti, suae aetatis opinionem tenuerunt. Ita omnes scriptores ab Homero inde vsque ad Columbum tradiderunt, terram non esse globum sed orbem; omnes scriptores ab Homero inde vsque ad Copernicum docuerunt, non terram circumire solem, sed solem terram. Veterum auctoritas nulla est, vbi certiora et luculentiora testimonia loquuntur. Ceterum scriptores veterum obscuriores et negligentiores, si praeferendi sunt reliquis clarioribus et accuratioribus, ipsi quoque Champollioni contradicunt, quippe qui hieroglyphica phonetica, licet diuersa a nostris, statuerit. En argumentum, quo Champollion non nostram hieroglyphicam, sed suam potius impugnauit!

Revera consentaneum videtur, symbolicam quandam scripturam ante alphabeticam in vsu fuisse apud Aegyptios aliosque populos. At hoc quaeritur, vtrum scriptura Aegyptiorum hieroglyphica eadem fuerit atque symbolica illa, qua cogitationes, quatenus fieri posset, expressae sint notionum symbolis, quaeque progenuerit alphabeticam scripturam. Armenii quoque vtuntur scriptura hieroglyphica, hieratica atque demotica, quae, vti constat, ad exemplum scripturarum Aegyptiacarum factae sunt. Quemadmodum vero apud Armenios scriptura hieroglyphica ex hieratica, hieratica ex vulgari, vulgaris e Phoenicia prodiit, ita apud Aegyptios quoque hieroglyphica ex hieraticis, hieratica e demoticis, demotica ex Phoeniciis oriri potuerunt. Nos quidem veterum auctoritate freti, e monumentis Aegyptiacis demonstrauius, scripturam Aegyptiorum hieroglyphicam prodiisse ex hieratica, hieraticam ex demotica, demoticam ex Phoenicia. Phoenicii segetem suam draconigenam apportarunt non solum in Graeciam, sed in Aegyptum quoque, vt veteres testantur. En! nouum argumentum, quod *a priori* nobis oppositum fuit.

Si scriptura Aegyptiorum constat 25 literis, non intelligitur, cur tam multae sint literarum formae. „Conçoit-on, inquit Champollion, qu'un enfant dût classer dans sa mémoire plus de 200 signes arbitraires, avant que de pouvoir pein-



dre commodément un seul de 25 sons ou articulations de sa langue parlée<sup>28)</sup>? Observare licet, Champollionem denuo contra se ipsum argumentari. Non magis enim intelligitur, cur 200 hieroglyphica fuerint phonetica, quae Champollion iam inuenisse sibi videtur, cur Aegyptii vnum eundemque sonum tam variis imaginibus, vt Champollion docet, expresserint. Ignoro prorsus, cur Aegyptii diuersas literarum formas adhibuerint. Scilicet literae omnium populorum inde a primordio scripturae vsque ad typographiam alias ex aliis mutationes subierunt. Quemadmodum vero literae Arabicae, Indicae aliaeque varias formas acceperunt pro locorum et vocabulorum, quibus scriberentur, varietate; ita literae Aegyptiacae quoque variari coeperunt, quum vocabula inciperent aut terminarent, quum aliis literis insiderent aut subiicerentur, quum praecederent aut sequerentur signa sibi incommoda. Sic tabula mea alphabetica, quae Champollioni displicuit, continet literas omnis generis omniumque aetatum et regionum. Adeat aliquis manuscripta nostratium vel ipsos papyros Graecos in Aegypto scriptos; nescio an plures inuenerit variationes literarum quam in manuscriptis Aegyptiacis. Iam vero non poterant modo variae earundem literarum formae in Aegypto oriri, sed necesse erat. Lingua Aegyptiaca multis vocabulis et nominibus propriis vtitur, quae, quamuis diuersas notiones et personas significant, pronuntiatione inter se non differunt. Huius generis vocabula et nomina ne legendo confunderentur, literarum formis distingui debebant. Postquam literae in vno vocabulo coniunctae propter signa sequentia aut antecedentia a genuina sua ratione paululum deflexissent, iam oriebantur, quum literae hae variatae ornarentur hieratice, novae variationes eorundem typorum. Subinde, quum coniungerentur cum vocabulis notiones symbolicae, rursus eadem literae ita ornari et variari debebant, vt figurae rebus sentiis aptae orirentur. Ceterum, genuina literarum forma cognita, cuiusuis literae variationes siue demoticae, siue hieraticae, siue hieroglyphicae, facile distinguuntur et memoria comprehenduntur, vt demonstraui. Sed faciamus, tantum et talem numerum literarum nimium fuisse pueris erudiendis. Confiteamur, scripturam Aegyptiacam non fuisse grammaticam, sed symbolicam. Lingua Aegyptiaca, quae inter cultissimas et ditissimas fuit, continuit saltem 20000 vocabula: partim nomina, partim substantiua, partim verba, partim adiectiua, partim aduerbia, partim alias orationis particulas. Quum symbolica ratione haec inter se distinguerentur, memoria comprehendendi debebant 60000 symbolica partim

28) Ib. p. 17.



demotica partim hieratica partim hieroglyphica, priusquam aliquis vnum versum scribere aut legere posset ex tempore. Quae quum ita sint, redeamus ad nostrum alphabetum simplicius et facilius in gratiam puerorum Aegyptiacorum.

Venimus ad argumentum omnium grauissimum, quo inuento Champollion in verba erupit: Quel Dedale sans fin! . . . . Quel Labyrinthe inextricable! . . . . Vtique videtur improbable, eadem signa hieroglyphica diuersos sonos significasse. Nolumus ad aliarum nationum exempla prouocare, neque demonstrabimus, quomodo id fieri potuerit. Quum ferrentur variae literarum formae, quarum aliae aliis similes essent, hierogrammates, literas ornaturi, formas literarum diuersarum similes nunc paribus imaginibus nunc simillimis circumscribebant. Sed sufficit vnum verbum, ut videas, fuisse hieroglyphica ambigua. Comparare velis complexionem hieroglyphicam ex inscriptione Rosettana (Rud. hier. Tab. XIII. vers. 9. col. IX.) cum alia complexione Rosettanae inscriptionis (Rud. hier. Tab. XIII. vers. 11. col. I.), quarum illa *deum* significat atque *noo* siue *nô*, Copt. *nû*, pronunciatur, haec vero *annum* denotat atque *aspo*, Copt. *aspo* pronunciatur, vt ex versione Graeca satis constat. Vtraque complexio imaginem hami continet, qua de re hamus hic *s*, illic *n* valet. Scilicet literae *n* et *s* hieraticae, quum passim sibi simillimae sint, similibus imaginibus circumscriptae videntur. Haud raro idem hamus, vbi *s* significat, lineola diacritica distinguitur ab hamo *n* significante. Huius generis plura eaque clara exempla alias exposui, atque habes catalogum hieroglyphicorum ambiguorum, quae hactenus inueni, sub finem tabulae meae alphabeticae. Sed quum hocce caput hieroglyphices nostrae tantam vim haberit in animum humanum, denuo cedamus systemati Champollioneo. Per se clarum est, hieroglyphica illa 850, quum in millibus papyrorum et inscriptionum constanter recurrant, non significasse vocabula tota. Et recte quidem. Inscriptio Rosettana Champollionem docebit, quatuor, quinque, aut plura hieroglyphica simul vnâ notionem expressisse. Ex quo sequitur, si complexiones hieroglyphicae nostrae fuerunt symbolicae, singulas imagines vnus complexionis hieroglyphicae fuisse singulas notas notionis exprimendae aut philosophicas aut historicas. Iam vero hieroglyphica illa 850 recurrunt in diuersis complexionibus, atque multae notiones, quibus nulla nota communis est, communes habent, vt quiuis versus ex inscriptione Rosettana docet, easdem imagines hieroglyphicas. Ergo huius generis hieroglyphica singula diuersas notionum notas expresserunt. Itaque res eadem manet. Diuersae potestatis sunt figurae hieroglyphicae singulae, siue pro notis symbolicis sumantur, siue pro notis literarum literisque. Quare non video, quid



iram Champollionis mouerit, quum denuo argumento vtatur magis sibi quam nobis aduersario. Quodsi exstiterunt hieroglyphica ambiguae potestatis, satius est, ea secundum grammaticam nostram rationem ambigua fuisse, quam secundum placita Champollionis.

Denique obiicit Champollion, linguam in scriptis veterum Aegyptiorum nostra hieroglyphica inuentam non esse Copticam. De eo sane quid dicam nescio. Septem exstisse dicuntur miracula mundi; haberemus octauum idque omnium maximum, si lingua Aegyptiaca per duo vel tria annorum millia mansisset immutata. Quum nulla lingua in tanta rerum mobilitate, praesertim si Homero suo caret, per duo saecula sibi constet; quo modo lingua Aegyptiaca per tot saecula et in tantis patriae suae vicissitudinibus eadem manere potuisset? Iam vero dialecti Copticae atque vocabula Graeca, Latina et alia in Aegyptum recepta, satis demonstrant, linguam Aegyptiorum veterem diuersam fuisse a Coptica. Huc accedit, quod lingua Coptica, quum praecipue versionibus scripturae sacrae saeculo II. III. et IV. inseruierit, magis vulgi quam eruditorum dialectum continet. Denique veteres ipsi veterem linguam Aegyptiam, quippe diuersam a recentiori s. Coptica, dialectum sacram appellarunt. Ceterum noli credere, linguam Chamicam nostram toto coelo differre a Coptica atque talem esse, qualem Champollion septem vocabulis e glossario nostro prudenter et artificiose electis depingere non dubitauit <sup>29</sup>). Videamus specimen explicationum nostrarum. Versu XIV. inscriptionis Rosettanae haec deinceps legimus, quae egregie cum radicibus Copticis conspirant: *eûen* = eûen, *emn* = emn, *sche* vel *schî* = schi, *oni* = oni, *nêi* = nè, *nem* = nem, *ment* = ment, *nó* = nù te), *uinin* = uinin, *nê* = nè, *och* vel *ocheo* = (?) <sup>30</sup>), *chème* = chême, *ine* = ine, *boro* = puro et sic porro.

E praecedentibus iam clarum erit, Champollionem magis contra se ipsum, quam contra nos disputasse, atque quinque argumenta illa tantum abesse vt refutent, vt confirmant hieroglyphicam nostram. Veterum enim obscura effata non praefenda sunt testimoniis claris et certis, quae probant hieroglyphicam nostram.

29) Ib. p. 19. Septem his vocabulis praeterea accedit, partim vt a radicibus Copticis deducerentur, a quibus ea non deduxi, partim vt non satis recte redderentur literis Latinis, quum Champollioni non innotuerint neque doctrina mea de pronuntiatione Hebraica, neque Systema meum pronuntiationis Graecae, neque praecepta ea, quae leguntur Rud. hier. p. 14. n. 38. Sic  $\Omega$  non solum *a* sed etiam *ä* et *e* pronuntiatum est, quare v. c. pro *Osaraz* scribendum erat *Oserez* vel *Oseres*, Osiris.

30) Vocabulum *ocheo*, vt demotice constanter scribitur, non reperitur in glossario Coptico, quippe quod vocabula e scriptura sacra atque non nisi pauca e reliquis Coptarum scriptis continet.



Ordini rerum naturali et historiae magis consentaneum est, scripturam Aegyptiorum hieroglyphicam prodiisse ex alphabetica Phoenicum, quam ex symbolica quadam alia. Varietas literarum Aegyptiacarum facilius explicatur e principio nostro grammatico, quam e principio Champollionis symbolico. Ambiguitas hieroglyphicorum grammatica minus offensionis habet, quam symbolica. Veterem Aegyptiorum linguam non consentire cum Coptica recenti, sed differre ab ea antiquitatis indole necesse fuit.

Champollion, si voluisset hieroglyphicam nostram refutare, aliam viam ingredi debuisset. Argumentis enim *a priori* parum efficitur. *A priori* res certissimae quoque, ut terrae astrorumque motus, in dubium vocari possunt. Quare ante omnia argumenta examinanda erant, quibus singula hieroglyphices nostrae capita probauimus. In primis huc spectat illud caput, quo docetur, scripturam Aegyptiorum demoticam ex Phoenicia originem habere, quia literae alphabeti demotici partim eundem ordinem atque Phoeniciae, partim easdem figuras atque Phoeniciae habeant. Deinde demonstrari debebat, veterum testimonia esse falsa, aut perperam a nobis intellecta; quibus inter alia traditur, Aegyptios habuisse non literas hieroglyphicas permultas in breue contractas, sed ceterarum instar nationum alphabetum singulare; alphabetum Aegyptiacum non ex scriptura symbolica, sed ex Phoenicia prouenisse; alphabetum Aegyptiacum pariter ac Phoenicium 22 literis constituisse, postea vero tribus literis nouis a certo homine, qui *Isiris* vocatur, sacerdote Aegyptiaco, certo quodam tempore auctum fuisse; literarum studiosos non a literis ornatis hieroglyphicis, sed a literis simplicibus demoticis exordium fecisse lectionis. Nihil dicam de reliquis. At ne haec quidem sufficiunt. Res nostra adeo profecit, ut omnia Aegyptiorum scripta legere et intelligere possimus. Inuenimus scripta omnis generis omniumque fere temporum, quae nunc historiae, nunc mythologiae, nunc geographiae, nunc philologiae, nunc aliis disciplinis et artibus ut inexpectatos ita vberes fructus ferent. Legimus inter alia ad 300 nomina regia, inde ab antiquissimis temporibus vsque ad imperatores Romanos variis monumentis Aegyptiacis deinceps inscripta. Praeparauimus non pauca commentaria ad varia Aegyptiorum scripta; praeparauimus glossarium et grammaticam linguae Aegyptiacae veteris. Iam edita sunt ad 50 specimina explicationum nostrarum, e quibus quinque, quum inscriptiones bilingues contineant, versionibus etiam Graecis postea inuentis comprobatae sunt. Quare Champollion hoc quoque agere debebat, ut demonstraret, nostras tot scriptorum explicationes esse falsas. Atque satis fecisset, si per vnum versum in-



scriptionis Rosettanae siue demoticae siue hieroglyphicae probasset, singula deinceps vocabula a nobis partim aliter legi, partim aliter verti debuisse. Quam diu non demonstrabitur, monumenta Aegyptiaca, quibus hieroglyphice nostra innotitur, esse falsa; quam diu non demonstrabitur, veterum testimonia, quae hieroglyphicam nostram confirmant, esse falsa; quam diu denique non demonstrabitur, scriptorum Aegyptiacorum explicationes, quas hieroglyphice nostra praestitit, esse falsas: tam diu systema nostrum hieroglyphicum saluum et integrum manebit; tam diu aliud systema hieroglyphicum nostro repugnans stare non poterit.

At restat sextum quoddam argumentum, quo Champollion haud obscure nostram hieroglyphicam impugnavit<sup>31)</sup>. Atque recte quidem Champollion suam ipsius hieroglyphicam, quum plane contraria sit nostrae, nobis opposuit. Sed obseruandum est, quod magnopere doleo, de toto systemate Champollioneo nondum vnum comma certis argumentis probatum esse. In argumentis enim pro hieroglyphice Champollionis, nostra critica acquiescere nequit. Sic credunt, hieroglyphicam Champollionis accuratissime consentire cum veterum testimoniis. Hoc vero de iis tantum, atque ne de his quidem plane, valet, qui obiter scripturam Aegyptiorum memorant symbolicam. Reliqui veterum iique clarissimi disertis verbis Champollioni contradicunt. Dicat aliquis, quomodo veteres, quum tradunt alphabetum Aegyptiacum initio 22, postea, tribus additis, 25 *litteris* constituisse, quo modo veteres inquam illi cum Champollione consentiant, qui iam 200 literas Aegyptiorum, quae vere literae sint, e sententia sua inuenit atque inuenire debuit? Ipse Clemens Alex. dissentit a Champollione, si testimonium illius ad communes philologiae leges et ad monumenta Aegyptiaca exigitur. Porro putant, hieroglyphicam Champollionis niti multis Aegyptiorum monumentis. Sed Champollion, quum praeconcepitis opinionibus adiret monumenta sua, in iis non obseruauit, quae obseruanda essent, sed quae e sententia sua obseruari possent. Deinde contendit Champollion, systema suum variis inscriptionibus bilinguibus confirmari. Sed monumenta illa bilinguia, vt papyri demotici cum subscripto (registro) Graeco, ita comparata sunt, vt nihil probent. Textus enim Graecus, in quo errauit Champollion, aliud argumentum tractat, quam demoticus<sup>32)</sup>. Inscriptio vero Rosettana, adhuc veluti sola

31) *Ib.* p. 22.

32) In primis hoc valet de inscriptione mumiae Taurinensis, cuius primam explicationem suscepit Eq. de S. *Quintino*. Postea eadem res tam cum veris, vt numerorum indicatione, quam cum falsis, adeoque cum iisdem erroribus lithographicis repetita est, suppresso *Quintini* nomine, in *Bulletin des Sciences*, VII. n. 9. p. 177. Conf. Notice sur une momie ég. du temps d'Adrian etc. Paris, 1824...



bilinguis, cuius interpretatio ex systemate Champollioneo nondum successit, tantum abest, vt confirmet, vt refutet hieroglyphicam Champollionis. Minime omnium Champollion, vt causam suam sustineret, ad Academiae cuiusdam auctoritatem prouocare debebat. Academiae literarum enim, quarum vtilitatem et merita nunquam praedicare desinam, sunt societates eruditorum e diuersis quasi familiis. Equidem eorum virorum tantum auctoritatem agnosco, qui a partium studio alieni idem literarum genus pari acumine parique diligentia et assiduitate tractarunt, atque nos. Denique prouocat Champollion ad id, quod hieroglyphice sua historiae attulerit incrementa. Hoc quidem spectat ad viginti vel triginta nomina regum, quae se explicuisse credit. Nolo memorare, alios secundum ipsam Champollionis hieroglyphicam eadem nomina aliter intellexisse. Nos quidem quum reliquas lectiones Champollionis, tum nomina illa quoque omnia nunc tota nunc ex parte aliter explicamus atque Champollion. Itaque, vt duobus verbis repetam, systema Champollionis hieroglyphicum non nisi duplici ratione probari potuisset, scilicet ita, vt demonstraretur, primum certa et diserta veterum testimonia accurate consentire cum principiis hieroglyphicis a se inuentae, deinde per eam explicari, atque, cui rei versio Graeca inseruit, recte intelligi posse inscriptionem Rosettanam. In interpretanda inscriptione Rosettana Champollion ita versari debebat, vt partim demonstraret, quid singulae signorum complexiones tum demoticae tum hieroglyphicae significant, partim doceret, cur et quamnam ex lege tria, quatuor, quinque aut plura signa simul vnum vocabulum siue vnam notionem expriment. Haec enim est scripturae Aegyptiacae clavis, cuius inuentorem Champollion se appellauit, non vt de coniectura dicatur, quid hieroglyphica quaedam significant, sed vt demonstraretur, cur et quamnam ab eadem, vt nos fecimus, plura signa simul vnum vocabulum expriment. Ceterum nunc facilius erit, quod cupit Champollion, nostram hieroglyphicam inter atque Champollioneam iudicare. Apparent coram iudicibus, penes quos est iudicare in huius naturae causis, duo systemata hieroglyphica diuersa. Alterum eorum interpretatur Aegyptiorum scripta vt reliquarum nationum scripta; alterum hieroglyphica habet pro genere quodam scripturae, quod vulgo *rebus* vocant. Alterum e contemplatione et comparatione monumentorum Aegyptiacorum prodiit; alterum, vt Champollion confitebitur, *a priori* ortum est. Alterum consentit cum hieroglyphice veterum, alterum contradicit disertis veterum testimoniis. Alterum inscriptione Rosettana aliisque bilinguis confirmatur; alterum nondum valuit vnum versiculum ex inscriptione Rosettana explicare. Alterum praestitit explicationem papyri Pa-



risini, quae respondet versioni eiusdem textus Graecae postea inuentae; Alterum —

Sed facile intelligitur, quomodo Champollion, cuius hieroglyphicam iam alii multi iique viri docti et ingeniosi reprobant ac refutarunt, in tot tantosque errores incidere potuerit. Clemens Alexandrinus haud obscuris verbis docet, omnibus, qui scripta Aegyptiorum legere et intelligere cupiunt, iis incipiendum esse a literis demoticis, a literis demoticis vero procedi debere ad hieraticas, denique ad hieroglyphicas. Champollion, quum se paullo sapienterem haberet quam Clementem, non a vulgaribus literis ad hieraticas et hieroglyphicas, vt nos fecimus, instar puerorum Aegyptiacorum, sed ab hieroglyphicis ad sacerdotales, denique ad vulgares procedere studuit.

Itaque Champollionis studia, vt videtur, non coeperunt faustis auspiciis; quam ab ea causam id Champollioni vaticinamur, quod dudum praevimus, imo ante emissionem talis hieroglyphicae praediximus, fore, vt systema Champollionis hieroglyphicum, quo maiori cum strepitu superbo amicorumque suorum applausu in eruditorum orbem ingressum est, eo citius in obliuionem redeat.

Sed haec hactenus. Quum rationem hieroglyphicae Champollioniae paullo melius, quam nostratum multi, perspiciam; accuratius et fusius de eo disputabo, si Deo O. M. placuerit, in secunda aut tertia parte meorum aduersariorum Aegyptiacorum. — Vel solum Ptolemaei nomen, quo totum Champollionis systema, vt constat, nititur, auctori persuadere potuisset de hieroglyphicae suae vanitate. — Nihil autem tam sanctum, tam sublime est, quam verum. Quare non amplius differam de principiis nostrae hieroglyphicae quam potero maxime perspicue et copiose disputare.

Scripsi Neapoli d. XVIII. Octobris MDCCCXXVI.

*G. Seyffarth.*

LIPSIÆ, literis GUILIELMI HAACK.



Bc 146.4

ULB Halle  
004 802 25X

3



D







Blank paper label on the upper right corner of the book cover.

